APPARATVS EXEQVIARVM IN FVNERE ILLVSTRISSIMI CARDINALIS ALEXANDRI FARNESII,

A Collegio ANCHARANO in D. Dominici BONONIAE.


Oratio de eiusdem Illustrissimi Cardinalis, & Principis Laudibus.

A MVTIO THOSCANO Anconitano Collegij Ancharani Alumno.



BONONIAE, Apud Io. Rossium. MDLXXXIX.
Curiæ Archiepisc. & S. Inquisit. concessu.

AD D. MVTIVM THOSCANVM.





VNC age lugubri in cętu Muti ora reclude,
Nectareus fandi defluit vnde liquor,
Nam latiæ perijt sedis FARNESIVS hæros;
Materia eloquio non minor illa tuo:
Fęlix, qui innumeras potis es differrere laudes,
Non sine diuino numine tanta potes,
Aude igitur, dum alios laudas, laudaberis ipse,
Laudato exurgens sic tua fama Viro.

ILLVSTRISSIMO, ET REVERENDISS. GABRIELI PALÆOTO CARDINALI AMPLISS. & Bononiæ Archiepiſcopo, Principi, &c.

MVTIVS THOSCANVS S.




ON poſſum equidem non maximas immortali Deo gratias agere (Cardinalis Ampliſs.) quòd ad eam, quàm à maioribus hæreditario quaſi iure accepi, eximiam, ac ſingularem erga Farneſium nomen animi propenſionem, hoc propriè in me beneficium accedere voluerit, vt in Ancharaniũ Collegium adſcriptus, Alexandri Farneſij Cardinalis obitum funebri Oratione deplorarem; quanquam hac in re illud me non leuiter pupugit, quòd nequaquam tanti Principis rebus præclare, & cũ virtute geſtis par mea futura erat oratio. Sed nimirum arduis in rebus, vel ipſi conatus laude non carent; & nobis vtiq; non tàm dignitatis noſtræ, quàm grati animi ratio habenda fuit, ne cuius viri excellentem virtutem, cunctæ fere nationes prædicarunt, & iacturam moleſtiſsime ſe tuliſſe teſtatæ ſunt. eius immortales laudes Ancharanij Alumni,

qui in illius tutela perpetuo vixerunt, aut siluisse, aut mortem minus defleuisse viderentur. Id f.fuit causę, cur ego delatum ad me munus non solum libenter su sceperim, sed de oratione etiam diuulganda cogitarim. Neq; verò mihi editionem molienti diutius dubitandum fuit, in cuiusnam principis viri nomine honestius appareret. tu.n.statim occurristi, Illustrissime Cardinalis, cuius egregia virtus, ac præstans in omni doctrinarum genere eruditio, cum vniuersis grata mortalibus, tum verò ALEXANDRO ipsi clara vsque adeo fuit, vt si demortui mentem, ex ea quæ viuentis fuit de te opinio, interpretari licet, profectò ille, non alij, quam Amplitudini tuæ, hanc qualemcunq; siue laudationem, siue lamentationem, dicari velle videatur. Accessit ad hoc peculiaris quædam ratio meritorum, cum enim Camilli fratris tui Clarissimi, & sapientissimi senatoris, gubernatione, ac administratione res nostræ auctæ semper, & stabilitæ sint, eodemq; consiliario, & auctore meliore etiam loco, tum ædium laxitate, tum vectigalium accessione futuri fuissent. si Alexandro diuturnior vita suppeditasset, res loquebatur ipsa, vt à qua familia tam multa in nos commoda, atque ornamenta manarunt, eius familiæ principi, & Romanæ Ecclesiæ Cardinali, tenues agri huiusce Ancharanij fructus offerrētur; quos sane etiam si minus sua commendatione, his tamen nominibus præcipue debitos Amplitudini tuæ non parum gratos fore confidimus.

AN-

ANCHARANI COLLEGII LACHRY.

In Funere ALEXANDRI FARNESII *Card. Ampliss. & Patroni vigilantiss.*





VT toti patriæ flebilis occidis
Vt toti Italiæ? Maximus, & minor
Ordo te illachrymant, ò Latiæ decus,
O gentis columen tuæ
Farnesi, heu pietas cælicolum, heu fides;
Infelicia quis damna Quiritium,
Aut quis trux adeo nostra tuebitur;
Qui non lumina contrahat?
At quamuis lachrymis impatientibus
Quid quidq; est hominum, quid quid & vrbiũ
Tempus te omne fleant; flebilior tamen
Nulli quam moreris mihi.
Ancharana domus, Magna Bononiæ
Quondam lux; genitrix nobilium virum;
Nunc exagitant te fera, concidit
Nunc omnis tua gloria;

Et

Et pulchri, atque boni quid quid erat tibi.
Auras in tenues euanuit; tua
Sic æquata polo culmina cærulo
Infelix vides? Atrijs,
Sic gliſcis nitidis? Turba frequentior
Sic fundi aſpicitur porticibus nouis?
Spes vanæ, rapuit nox breuis omnia.
Qua Farneſius interit
Heros; Certa fero; conſpicuam ſuper
Cunctas, quod cuperet reddere me domos;
Teſtis purpurei maxima pars chori,
Præſes egregius, cui
Sancti dant titulum quattuor inclitum.
Teſtis Felſinei magnanimus ſo
Legatus, patriæ numina maxi
Patris concilians ſuæ.
Teſtes multi alij. Sed quid ego aſpera
Refrico miſerè vulnera? Filij
Quod vobis perijt, ducite perditum
Nec profundite futiles
Fletus. ſors eadem verſat, & infimos
Et ſummos eadem; Proficientibus
Cur nequidquam agimur heu quærimonijs?
Vnum quod bene geſſeris
Aeternum remanet. Tu ſuper æthera
Scandiſti liquidum, ciuis olympicus
Farneſi ex homine effectus, & aurea
Sub te ſydera curſitant.

ORATIO

SI QUANTUM ALEXANDRI FARNESII Ampliss. Cardinalis, atq; optimi Principis obitus, uti immaturus ille quidem, sed tamē bonis omnibus, & nouus, & inexpectatus, non modo urbi, sed Reipublicæ Christianæ uniuersæ mæroris attulit, et lachrymarum, aut antea ātæ uitæ pietas, splendor, & in omne hominum genus profusa beneficentia dicendi præbet argumenti; tantum, ac multo etiam minus ingenij mihi esset, & eloquentiæ ad impositum munus obeundum; non dubitarem equidem, uel in communi orbis terrarum luctu, siccis oculis, in hunc locum ascendere, & eum qui virtuti debetur honorē, quantum possum oratione præstare, sed quoniam quantum illa grauia sunt, & inaudita, tantum mihi de dicendi detrahitur facultate, cogor uarie affici Aud. & hinc doloris acerbitate, illinc propositæ rei magnitudine, quasi quibusdam fluctibus agitatus, non sine causa naufragium perhorrescere. Mouet me tamen ad dicendum propria quædam ordinis nostri ratio, & vel inuitum tantam prouinciam detrectare non sinit, nam cum honestissimus locus, uirtutis, & literarum domicilium, quē incolimus, CC. fere ab hinc annis Farnesianis opibus extructus, assidua Alex. Card. tutela, ac præsidio defensus, auctoritate commonitus, liberalitate fuerit recreatus; parietes certe ipsi si quis esset in ijs sensus, nedum homines mente, ac ratione præditi, parente optimo, & beneuolentissimo orbati, & lachrymas profunderent, & præclarissimis illius commemorandis laudibus, quando alia ratione non possent,

ſent, aliquam grati animi ſignificationem dare conarentur. Vincat igitur humanitas, omnem doloris moleſtiam, omnem propoſitæ rei difficultatẽ beneficiorum ſuperet recordatio; Dicamus pauca de maximis, admirabilibuſq; virtutibus, atque ita dicamus, non tam vt illum exornaſſe noſtra videatur oratio; quem ad beatiſsimos ipſorum cælitum complexus, & ad veram perfruendam gloriam deceſsiſſe ſperamus, quam vt virtuti ſuus honos habeatur, & deſiderium optimi, atque humaniſsimi principis hac ſaltem ratione leniatur. Ac mihi quidem in hoc primo aditu, veſtibuloq; orationis meæ ſubuereri venit in mentem, ne cum Alex. vita non ſolum perpetuo cum virtute coniuncta, ſed incredibili animi, corporis, externorumq; bonorum copia cumulatiſsima fuerit, non tam illum laudaſſe, quàm humanæ fælicitatis ſpeciem, & quaſi figuram expreſsiſſe, non tam de illius ornamentis egiſſe, quæ virtutis ipſius laudationem videar inſtituiſſe. Nam clariſsima, & vetuſtiſsima ſtirpe eſſe prognatum, Auum habere Pont. Max. ac ſapientiſsimum, fratrum alios R. E. Car. Ampliſsimos, alios Regulos opulẽtiſsimos, cum maximis Regibus, ac Cæſaribus affinitate coniunctos, fratris filium cum iiſdem inſignem titulis, tum verò inuictiſsimi exercitus imperio nobiliſsimum, poſteros eximijs honorum fulgentes prærogatiuis, ipſum alterum ſecundum Pontificem, principẽ inter purpuratos Patres tenere locum, diuitijs, dignitate, gloria vndique circunfluere; ſunt iſta quidem, & ſigillatim maxima, ac admirabilia, & vniuerſa, perfectæ, & numeris omnibus abſolutæ fælicitatis, quæ hac in vita quæri poſsit, ideam quandam præ ſe ferre non inepto rerum æſtimatori videan-

deantur. Nam quod ad nobilitatē attinet, generisq́ splendorem, quorum alterum in antiqua virtute, alterum in continuata eiusdem virtutis serie positum esse, viri sapientes docuerunt, Farnesiam gentem sexcentis fere abhinc annis litterarum monumentis illustrem, è Germania in Italiam, in Cæsarum comitatu, qui Italicum illud iter, magna nobilissimorum Procerum copia circumsepti frequentare solebant, venisse traditum est ab ijsdem oppidorum ditione in Valsiniensibus, & Salpinatibus, virtutis ergò donatam, in Etruria primum consedisse, inde euocatam in Urbem, præcipuum opibus, potentia, ac dignitate locum obtinuisse. Ex hac tanquam ex equo Troiano, superioribus seculis, Pepones, Ranutij, Petai, Prudentij, Ludouici, alijq́ innumerim Principes exierunt, qui & Romanis Pontificibus, & Neapolitanis Regibus, durissimis, ac periculosissimis implicitis bellis, strenuā, fidelemq́ operam exercituū Imperatores nauarunt. Neque verò hos tantum viros rerum fortissime gestarū gloria clarissimos extulit Farnesia gens: sed quemadmodū vberrimi, & lætissimi agri, non modo æstiuos, sed hybernos etiā fructus edunt cultoribus, ita hæc virtutis feracissima, quasi vinea, & belli & pacis tempore, suas orbi terrarum fruges suppeditauit. Ex quibus vt alios omittam Petrum certe Farnesium cognomento Ancharanium silentio præteriri, nec vestra singularis humanitas patitur, Bononienses Ciues, nec nostra acceptorum beneficiorum gratissima recordatio. Is.n.cum ante cc. fere annos ad excellentem Iuris Ciuilis, Pontificijq́ scientiam, qua ita florebat, vt omnes qui per ea tempora legū intelligentiam habuerunt, vnum in locum collatos, longe supe

raret, incredibilem morum facilitatem, incomparabilem animi æquitatem adiunxisset, breui effecit non modo domus vt sua, oraculum Vrbis; sed ipse (quod Seruio Sulpitio olim contigisse legimus) non magis Iurisconsultus quam iustitiæ haberetur. Itaque hac in vrbe, & interpretando, & respondendo nominis celebritate, longe lateq; propagata, ac re domestica mirum in modum amplificata, cum de Bononiensi Rep. cuius semper studiosissimus fuerat benemereri vellet, & ipsis liberalibus artibus, à quibus tantum dignitatis acceperat, nonnullam referre gratiam cogitaret, litteratæ iuuentutis collegiũ Bononiæ fundauit, cuius tutela ad gentiles suos Farnesios proceres pertineret. Hos, aliosq; complures omni laudum genere cumulatissimos Viros multis post seculis, atque adeo nostra memoria maior Alexander excepit, cuius res præclare, ac sapientissime gestas dicerem equidem Aud. superiorum nomini tenebras offudisse, si aut splendor de luce, aut de laude gloria imminuere quicquam posset. Hic est illa Alex. cuius eximia, & incomparabilis virtus, cum neque familiæ claritate, neque amplissimorum sacerdotiorum procuratione, neque purpurati maiestate senatus, neq; difficillimis pariter, & magnificentissimis pro Apostolica sede obitis legationibus, nec vlla deniq; humana gloria circunscribi posset, nacta maximi Pontificatus campum, in quo exerceret illa sese, vsque adeo peruagata est, vt iam audito Pauli iij. nomine (ita. n. Alex. post adeptũ Pontificatũ est appellatus) admirabile nescio quid, & mortali cõditione maius hominũ aures personare videatur. Sedit vir sapientissimus ad Christianæ gubernacula Reip. post luctuosa illa Clemẽtis vij. tẽpora, quibus Petri nauicula sæuis

diu

 228

diu multumq; iactata procellis, vigilanti imprimis, & industrio rectore indigebat; ad id porro munus non modo insolita quadam, & inaudita Patrum consensione, sed honorifico adeo Clementis ipsius praeiudicio delectus est, vt eum haeredē scripturum se affirmarit, si sacrosancta illa dignitas testamentō capi posset, quin etiam morti proximus ei vni omnibus Patribus ante lato non obscura praesagitione ecclesiam cōmendauit. Et verò euentus, hominum spem cumulatissime comprobauit, fuit enim in Paulo, vt caetera ornamenta sileam cum in omni administranda Rep. mira quadam & Principe viro dignissima prudentia, tum verò in tractandis, examinādis, penitusq; introspiciendis hominum animis diuina pene solertia. Seligebat ille ex omnibus nationibus praestantissimos viros, quos purpurae honore decoraret, florem orbis terrarum ad suam Remp. adiungebat. Nemo Romanorum Pontificū ad hanc diem plures patres, qui vnus & septuaginta fuerunt, in sacrum Collegium cooptauit. Quatuor summi Pontifices, Iulius iij. Marcellus ij. Paulus, & Pius vterq; eo nomine quartus, qui nusquam interrupta serie, post eum ad maximi sacerdotij fastigium peruenerunt, ex eiusdem lectionibus prodierunt. Huic tam praeclarae, tam egregiae, tam excellenti rerum gerendarum prudentiae, quanta animi firmitas, & magnitudo responderit, declarat sacrorum Antistitum conuentus, ad turbulentos haereticorum errores refellendos, & veterem sanciendam disciplinam, Mantuae primum indictus, inde Viceriam, Tridentumque translatus; magnum sanè opus, atque haud scio, an de Pontificijs operibus longe maximum, sed summis adeo difficultatibus impedi-

 pedi-

peditum, vt viginti ipsos annos bonorum precibus, & votis frustra exoptatum, diuino consilio, Farnesiæ demum virtuti permissum, & quasi reseruatum fuisse videatur. Fælix omnino Paulus, & rerum prudentissime gestarum fama immortalis, sed mihi hoc vno beatissimus videri solet, quod non tam nominis successorem, quàm effigiẽ morum suorum, pietatis prudentiæ, constantiæ Alex. nepotem reliquerit. Nolo hoc loco commemorare, quæ de nominum vi, ac potestate ad nostros immutandos animos, ad mirabilia multa, & propè incredibilia à Platonicis scripta non ignoro, illud facile adducor vt credam, fortibus, & sapientibus viris non parua inde oriri incitamenta ad gloriam, ad ipsam verò maiorum dignitatem retinendam, augendam, illustrandam, acres stimulos admoueri. Etenim non solùm in Alex. Nepote perfectam Aui imitationem animaduerto, sed in altero etiã Alex. Parmensium Duce fortissimo, atque inuictissimo, cui iam diu Imperatoria laurea magni cognomen parturit, videre mihi videor Proaui, Patruiq; imaginem diligenter expressam, sed ille in diuerso laudis genere floret; noster quam fæliciter in eodem studiorum curriculo desudarit, mecum obsecro considerate Aud. sic enim vt arbitror statuetis, quibus gradibus Pontifex ad tantum dignitatis apicem ascendit, ijsdem ad insignes honores, & immortalem nominis celebritatem Alexandrum Card. aditum sibi aperuisse. Ille & Bononiæ in Ancharanio Collegio, & Florentiæ aureo illo Laurentij Medicis seculo, græcis, latinisq; litteris egregiè eruditus, in omni liberalium disciplinarum genere cum laude versatus est. Hic in eadem vrbe, eodemq; Collegio paribus studijs excultus, &

perpolitus tantum profecit, vt litterarum, litteratorumque virorum singularis fauctor, ac patronus appellari meruerit. Ille ab Alexandro VI annos natus octo & viginti in sacrum Collegium aggregatus. Hic in ipso adolescentiæ flore, non tam Aui iudicio, quàm incredibili Card. omnium approbatione, atque adeo certißima spe futuri prouentus, in eundem ordinem Bononiæ cum ageret in hoc suo, & nostro Collegio est cooptatus. Ille ad Carolum VIIJ. potentißimum Gallorum Regem, Neapolitani Regni possesionem armis sibi vendicantem, ne quid Italia detrimenti caperet legatus. Hic ad Carolum V. inuictißimum Romanorum Imperatorem magnum, & periculosum cum Germanis bellum gerentem, ad ferendum Italiæ nomine auxilium eodem legationis munere perfunctus. Ille Picenũ, & Vmbriam perpetuis legationibus gubernauit. Huius in pari potestate incredibilem animi moderationem Auenionenses, & Viterbienses, ita adamarunt, vt non tam sub Principis imperio, quàm in optimi parentis tutela sese vixisse glorientur. Ille sex Romanis Pontificibus, Alexandro, Pio, Iulio, Leoni, Adriano, Clementi, eximie charus. Hic apud omnes eos, qui Auum sunt consecuti, Iulium, Marcellum, Paulum, Pios, Gregorium, Xistum, vel gratia, vel auctoritate, dignitatem suam egregie conseruauit. Ille cum in calamitosa Clementis tempora incidisset, prudentißime obitis legationibus omnia pacauit, pacem Ecclesiæ peperit, Pontificem magna sollicitudine liberauit. Hic cum ob aßiduam tractationem, vsumque rerum maximarũ ad difficillima quæque conficienda esset aptißimus, ne turbulentißimo periculosissimoque horum temporum statu affligaretur diutius, diuino be-

nescio ex huius vitæ miserijs videtur exemptus. Postremo, ille si ob egregiam virtutem incredibili omnium gratulatione ad summum dignitatis gradum peruenit. Hic eodem honore dignissimus omnium iudicio semper est habitus, atque haud scio vtrum Alexandro gloriosius fuisset tot amplissimos Card. Aui (vt ita dicam) partus ad Pontificatum euexisse, an ipsum Pontificem Maximum pronũtiari. Magna sunt hæc, magna prorsus, atq; admirabilia ornamenta, & quæ vel singula summam dicendi copiam, propriamq́ laudationem postularent, nõ tamen his excelsus Alexandri animus, & veræ gloriæ facibus inflammatus contineri poterit, quin ad præstantiora semper excurreret: legerat vir apprime doctus, (nam hæc quoq; in eo non vltima fuit laus) audierat, cogitauerat sane quæ de principum institutione veteres scriptores, litterarum monumentis commendarunt, omnes de officijs quæstiones memoria comprehenderat, ad perfectissimum illud, & numeris omnibus absolutum exemplar, ita effinxerat ille sese, vt mihi in hanc rem accuratius intuenti, quæcunq; aut Aristoteles ad Nicomachum, vt Xenophon de Cyro illo, nõ tam ad historiæ fidem, quàm ad effigiem optimi principis scripta reliquerunt, vnus Alex. Card. perpetuo vitæ splendore, & lectissimis moribus expressisse videatur. Ergo cum intelligeret Principem virum, quantum cæteris dignitate præstaret, tantum debere virtute antecellere, neq; id alia ratione consequi posse, quam si, & cum priuatis hominibus, & secum ipse, & (quod omnium caput est) cum Deo O. M. egregiè conueniret: ad eas colendas artes, quibus ad tam præclaram virtutis speciẽ informari posset, liberalitatem, prudentiam, pietatem, omnem

curam, cogitationemq; conuertit, ac breui ita excelluit omnibus, vt vni tantum operam dedisse crederes; ita floruit singulis, vt vniuersas tenere nequaquam videretur.

Nã quod ad liberalitatẽ attinet, cuius vnius collocãdæ causa regna expetenda viri grauissimi existimarunt, non fuit cur diutius in ea comparanda Alex. laboraret; excitabatur maiorũ exemplo, permouebatur Aui imitatione, trahebatur natura ipsa ad bene de omnibus hominib. merendum, angustiores liberalitatis ipsius fines putabat esse, Regio splẽdore, ac munificentiã sumptus metiebat suos. Refertæ erant bibliothecæ optimũ, & vetustissimis librũ, auri, argentiq; cælati magna vis, tabulæ, signa, & quicquid egregium ex vrbis ruinis erutum fuerat, propalam in Musæis collocabantur. Ad hæc, ædificia & Romæ, & in agro nõ tam ad necessitatem, quàm ad honestam animi oblectationem magnificentissime extructa, aut exornata. Palatium non procul à Floræ campo pontificia structura, & laxitate ab Auo inchoatum, varia suppellectili multipliciq; ornatu locupletatum. Horti Palatini, Transtyberini exculti, Caprarola, loci situ, aëris salubritate, aquis salientibus, hortorum amænitate; pentagona fabrica admirabilis à fundamentis excitata. Assidua præterea maximorum virorũ hospitia, quos ille his tectis & inuitabat humanissime, & receptos pari liberalitate, munificentiaq; cumulabat. Quoties ille Romanæ Eccl. Cardinales, quoties Principes alios multitudine pene innumerabiles domi suæ habuit. quãquam quid attinet hos commemorare? Nonne & Gregorium xiij. Pont. Max. cum Amplissimorum Cardinalium, & Procerum comitatu, & Caprarolæ, & in alijs dictionis suæ oppidis vnde

viginti

16 *viginti accepit conuiuijs, splendido adeo, & sumptuoso apparatu, vt vel ipsorum potentissimorum Regum, æquasse opes, & magnificentia videretur. Sed hæc non semper contingebant, illa quotidiana vitæ ornamenta. Erat Alexandri Aula omnis generis virtutum seminarium, ex quo non modo Episcopos, Antonium Aelium Polensem, Antonium Bernardum Casertanum, & alios pene innumeros, sed Amplissimos Cardinales non paucos, Maffæum, Ardinghellium, Politianum, Corrigiensem, Gambaram, summum etiam Pontificem Marcellum eo nomine ij. prodysse vidimus. Nolo hic recensere eruditissimos, atq; omni liberali doctrina præstātissimos viros, Molzam, Amasæum, Gualteruccium, Charum, Panuinium, Deuarium, & eos, qui superstites sunt, Fuluiū Vrsinum bibliothecæ præfectum græcis, & latinis literis politissimum, & Hieronymum Mercurialem cum præclara eruditione, tum verò medicinæ scientiæ nobilissimum, aliosque quamplurimos, quos ad sempiternam Farnesij nominis gloriam Alexandri munificentia recreabat. Laudatur à maioribus nostris C. Mecænatis in litteratos homines beneficentia, quā & Poetarum principes Vergilius, & Horatius, & alij prædicauere complures. At quantula illa omnis benignitas fuit si cum Farnesia conferatur? illa Romani equitis liberalitas, hæc Romani Principis magnificentia, illius domus per hospitalis, & humana, huius palatium, regia quædam, Musarū sedes, virtutum omnium officina fuisse videbitur.*

Iā vero quā singularis in eo fuerit rerū gerendarū Prudentia (quæ virtus cū princeps sit, moderatrixq́ reliquarū, principes viros mirum in modum decorare solet) vel ex eo facile

intelligi

intelligi potest, quod si ad naturam eximiam, atque illustrem, accesserit ratio quædam, confirmatioq́ doctrinæ: tum præclarum nescio quid, ac prope diuinum solet existere. Erat in Alexandro ingenium peracutum, & natura ad maxima quæque agenda accōmodatum, illam ingenij aciē Aui grauissimi, & sapientissimi senis quindecim ipsos annos exacuerat disciplina, quatuor & quinquaginta annos vixerat Card. totidem fere Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius, decem fere Episcopus Ostiensis, hoc est sacri senatus Princeps. His accesserat assidua lectio, accurataq́ commentatio, qua vna L. Lucullum Imperatorem, antea quàm militem euasisse accepimus, & qui omnium magistrorum præcepta superat vsus frequēs, quotidianaq́ tractatio rerum maximarum. Vix dum adolescentiæ ingressus annos, tres grauissimas, honorificētissimasque obijt legationes, quibus quàm præclara esset ad virtutem indole, egregiè comprobauit: primum enim ætatis anno nōdum expleto vicesimo, ab Auo ad Carolum V. legatus est, quo tempore ille ad coercendos, & vindicandos rebellium motus, magna properatione in Belgium contendebat, in eo itinere ferunt Cæsarem, & Franciscum Galliarum Regem, qui Cæsarem ipsum, & Farnesium Legatum transeuntes per Regnum suū splendidissimo apparatu accepit, vsque adeo Alexandri ingenio, suauissimisq́ moribus fuisse delectatos, vt felicem Paulum Pontificem prædicarent, cui talem nepotem habere contigisset. Missus iterum biennio post ad eundem Imperatorem, & Ferdinandū Romanorum Regem, vt eos consociatis viribus ad inferendum hæreticis bellum inflammaret, difficillimæ legationis munere ita prudenter, feliciterq́ perfunctus est,

 vt ad

ut ad primum cum eisdem Principibus Vermaciæ cogressum, bellum illud acerrimum, & maximum decerneretur. Neque verò à Vermaciensi conuentu magna cum gloria reuersum, Romæ quiescere Paulus Pontifex diutius passus est, sed cum Carolo bellum gerenti ex Italia auxilia mittere statuisset, Alexandrum vnà cum Octauio fratre Parmæ, & Placentiæ Principe, Cæsaris genero qui auxiliares copias ducebat, tertiũ in Germaniam legauit. Fuit ea legatio, ut tempore posterior ita cæteris longè gloriosior, Vtebatur assiduè Cæsaris contubernio Alexãder. obibat purpuratus castra inter armatos, sæpe in ipso armorum strepitu versabatur, adhibebatur cum proceribus in consilium de rebus bellicis: cumq; rogatu Cæsaris quid sentiret dicere cogeretur, vir planè ad omnia natus, quantum in eo quoque genere florere potuisset mirantibus omnibus ostendebat. Sed quid ego mandatas illi extra ordinem legationes commemoro? nonne & in perpetuis siue prouinciarum, siue aliorum munerum administrationibus eandem prudentissimi Principis speciem præ se tulit? Interrogate Aud. Auenionenses & Viterbienses, qui admirabilem eius gubernandi rationem diu, & felicissime experti sunt, Percontamini Regna, quorum ille permultos annos, Protector, & Patronus fuit, Lusitanum, Polonum & Arragonium, Quærite à sacris ordinibus Benedictinorum, Seruitarum, ab Vrbanis sodalitatibus ferè omnibus, quæ in eius tutela securissime quieuerũt; sciscitamini tandem Farnesiæ ditionis Oppidanos, summæ, infimæ, mediæ conditionis homines, omnes incredibilem Alexandri in rebus inueniendis solertiam, incomparabilem in diiudicandis sagacitatem, inauditam in conficiendis fælicitatem, di

uinam

uinam prope modum, in præcauendis prouidentiam præter illas, quæ Farnesiorum propriæ sunt humanitatem, & eloquentiam vno ore prædicabunt. Quamquam horum omnium testimonia, & si magna alioquin, & honorifica perexigua futura esse videantur, si tum Xisti Quinti Pont. Maximi, & sapientissimi iudicio conferantur, qui has, & alias pene innumerabiles virtutes, probe cognoscens, cum plurimis grauissimarum rerum consultationibus, tum ei quam de turbulentissimis Galliæ motibus nuper instituit, Farnesium Cardinalem præficere non dubitauit. Condiebat has oẽs virtutes Alexander singulari quadam in Deum, eximiaq; pietate, hanc Card. propriam, ad hanc cæteras dirigendas, sine hac reliquas omnes non tam virtutes, quàm inanes vmbras cum existimaret esse virtutis, animaduertebat etenim illi præstantissimæq; naturæ, nihil gratius fieri posse quam si & illi debitas honos haberetur & in hominem, eius insignem imaginem alterius hominis beneficentia copiose manaret. Itaq; vtramq; Christianæ pietatis partem diligentissime complexus, quod ad Dei cultum venerationemq; attinet Societati IESV, quam olim ab Ignatio Loiola institutam, & singulari Dei beneficio ad refellendos insanos Lutheri, aliorumq; impostorum, tum primum disseminatos errores, Christianæ Reip. concessam, Paulus iij. adnitente eo approbauerat, & decretis amplissimis cohonestauerat, templum pulcherrimum, & magnificentissimum, in celeberrima vrbis regione exædificandum curauit. Conuersus inde ad alias reficiẽdas, & exornãdas Ecclesias. Templum trium fontium vetustate labefactatũ, magnis sumptibus instaurauit. Ædem Laurentianam, aurato lacunari,

 & egre-

& egregijs picturis elegantissime, & magnificentissime decorauit. Basilicæ Principis Apostolorum Candelabra magni pretij, & opere mirabili perfecta, aliaq; in vsum sacri ministerij attribuit instrumenta. Neq; verò minor fuit eius in omne hominum genus magnificentia, omitto domesticos, & familiares, quibus & viuens optime consuluit, & moriens grandem pecuniæ vim testamento reliquit; quam præstanti fuerit in egenos liberalitate, testantur Laurentianæ Paroeciæ amplissime, & numerosissimæ incolæ, testantur Xenodochia, Nosocomia, Parthenones, aliaq; pia loca, secundis pariter, & aduersis tẽporibus paterna charitate subleuata, testantur quotidianæ omnis generis largitiones, quæ viuente illo de industria suppressæ, mortuo demum apparuerunt. In ipso denique funere insolito, nec vnquam audito Populi Romani luctu; declaratum est, vt primum è vita Farnesium Card. discessisse cognitum est, qui fletus tota vrbe? quæ comploratio? qui singultus? obsequentissimos liberos parentis optimi obitum lamentari credidisses, cum efferretur acutæ lachrimæ, ingeminata suspiria. Præcedebant solemni pompa religiosi ordines, cum facibus, & lugubri psalmodia. subibat pleretrũ. Sacerdotum humeris in Basilicam ab illo conditam inferendum, sequebatur Odoardus Princeps magno Patruo dignus prò nepos, hunc excipiebant Antistites, Proceresq; innumeri, pullis induti togis, ingens præterea domesticorum, & familiarium numerus. Interea per totam Vrbem iustitium indictum, per vias omnes quà ducebatur pompa atrati parietes, artificum tabernæ, aut clausæ, aut velatis insignibus, & funebri tantum proposita merce, liberalissimi Domini obitum miserandum in modum

deplo-

deplorantes; incredibilis omnium ordinum mæror, præsertim verò tenuium personarum, quos Alexandri beneficentia reficiebat. Tendebāt in cælum manus lachrymantibus oculis, pupillorum, viduarum puellarum, & ægrotantium greges, defensas fortunas suas, recreatam solitudinem, conseruatum pudorem, sanatos morbos prædicabant, pietatem mortuam, extinctam charitatem, sepultam beneficentiam, diuersis vocibus, sed eodem doloris sensu, eodemq; optimi parentis desiderio exclamabant, vbi ad Basilicam, peruentum est, depositumq; cadauer, tam magnus exosculantium manus. Rosaria quæ vocantur applicantium, extremis verbis salutantium concursus est factus, vt hanc ob causam inhumatum corpus totam eam diem relinquere necesse fuerit. Hac pompa, atq; hisce acclamationibus Alex. qui viuens rebus amplissime, atque honorificentissime gestis, semper triamphauit: mortuus in cælum, vt piè creditur, inuectus est. Sed iam ad lachrymas deuenimus, & lachrymis prosequi adeptum immortalitatem nefas est. Vos oro obtestorq; Auditores, vt quæ à me præ doloris acerbitate, magna, & multa de Alex. Farnesij Card. & beneficentissimi Principis laudibus prætermissa sunt; vos ipsi pro vestra singulari sapientia cogitetis.

Laus Deo.

AD LECTISS. COLLEGII ANCHARANI ALVMNOS.



MORS vbi ALEXANDRVM crudeli funere mersit,
Purpurei columen, præsidiumq́ chori:
Albula continuit cursum, obstupuere quirites.
Defuncto lachrymas maxima Roma dedit.
Fleuerunt dites, inopes fleuere, neq; vllus
Lugendi finis, tristitiaq́ modus.
Vos etiam tangunt hæc vulnera lecta iuuentus,
O Ancharanæ stirpis studiosa domus.
Ille etenim sedes vobis, & tecta parabat,
Cum medio in cursu mors inopina venit.
Quot spes, quot desideria, heu quot vota repente,
FARNESIO extincto sustulit atra dies.

ALIVD.

CONDITVR exiguo tumulo ter maximus ille
FARNESIVS, pallet purpura, sordet honos.

Pauperies

Pauperies languet, fancto viduata patrono
Squallet, & in gemitus vertitur & lachrymas.
Aonides lugent, luctus imitantur alumni,
Atq; Ancharanæ stirps studiosa domus.
Ille memor Musis sedes decreuerat, & ampla
Tecta sodalitio ponere certus erat,
Sed mors crudelis meditantem, et magna parantem,
Abstulit, & tot spes, votaq; diripuit.

ALIVD.

CONDITVR *hoc saxo sancti lux magna senatus,*
FARNESIVS, *tituli, purpura, pompa iacent.*

ALIVD.

PVRPVREVM *tegitur paruo hoc sub marmore lumen.*
Heu paruum saxum lumina quanta tegit.

ALIVD.

ANCHARANA *domus casum miserata capillos*
Deijce, præsidij funera plange tui.
Effertur magnum columen pietatis, & orbis
Sol, idemq; inopum grande patrocinium.

ALIVD

ANCHARANA *domus nutrix studiosa iuuentæ,*
Hic vbi Felsineum nobile perstat opus.
Dum tibi tecta parat, cæloq́ educere sedes
Cogitat, & magnum ponere curat opus.
Quale neque in vacuo viderunt aere Cares,
Nec Babylon longo margine Pyramidum.
FARNESIVS *columemq́ tuum, spes, cura, salusq́*
Occidit, atq; eadem sæua ruina tua est.

AD SPECTATOREM.



VGVSTVM viden ornatum, atraq; funera Mortis
Purpurei fletum, Cardineiq; chori?
Si nescis Generosus hic est Farnesius Heros
Magnus Alexander primus, & ille patrum.
Quem toties mirata est vrbs pietate decorum
Quem toties Mundus sensit, & obstupuit
Quem toties Latium, toties Mauortius Ister
Expertus laudes præbuit Ingenio.
Quis sit hic audistin? nunc tandem poplite flexo
Ossa pij Mæstus tu venerare Viri.

IN EXEQVIIS ALEXANDRI FARNESII CARDINALIS AMPLISSIMI.

ILLVSTRES titulos cui Virtus, Roma dedere,
Et longum antiqua nobilitate genus,
Extinctus iacet hic nube obdensatus opaca
FARNESIVS, paruo conditus in tumulo.
Hinc discas sit quanta fides mortalibus ægris,
Inuida quos vno mors rapit intuitu.

DISTICHON.

QVantus ALEXANDER viuens Farnesius esset.
Sat Roma, atque Vrbes, sat dolor ipse docet. A

GLORIA Romanæ FARNESIVS occidit aulæ
Primorum splendor, Cardineusq; iubar
Concidit omnis honos, & sacri

Conſpicite, extinctum nunc breuis vrna tegit

Mortalis fuit hic, vitæ licet integer eſſet,

Qua non mortalis parte futurus erat.

Fœlix in terris, fęlicior ille recenſet

Sydera, ſyderei lucida ſtella poli.



O c tibi pro multis, quæ Diuis templa dicaſti,

Farnesi, templum gens tua alumna dicat.

Hic Aſtræa, Fides, Prudentia, denique Virtus

Quæq; iacet, tecum viua, ſepulta ſimul.

ALIVD.

PERVICIT Macedo mundum: at quòd vincere nunquam

Se potuit; moritur, partaq; ſceptra cadunt.

Aſt hic Alexander victor mundiq; ſuiq;,

Euolat ad cœlum cœlica ſceptra tenens.



NDVE lugubres, quid ſtas Roma? induo veſtes,

Et prome heu mœſtas lachrymis atrata querelas.

Quòd nulli gelida populo Farneſius Vrna

Quàm tibi flebilior, tegitur. Mors impia fecit.

Quòd clypeum contra fortunæ tela minacis
Pauperibus breuis hora rapit. Mors impia fecit.
Quòd præter solitum Ausonij præcelsa Quirini
Regia luce caret multa. Mors impia fecit.
Quod cytharam Phæbus frangit; ꝙ carmina prorsus
Nulla Heliconiades cantant. Mors impia fecit.
Quòd versus, quòd plectrum, ꝙ decor ægis, & Heros
Vrbs mea chara vale dicunt. Mors impia fecit.
Indue lugubres, quid stas Roma? indue vestes,
Et prome heu mœstas lachrymis atrata querelas.

DISTICHON.

PArca, Deus, Tellus, secuit, posuit, tumulauit,
Filum, animam, corpus, dentibus, Axe, sinu.

FARNESI, vt Cœlos adeas, dat funere virtus:
Vt terris viuas, Mutius ore facit.

ORPHEVS, Eurydicen, tenues reuocauit in auras,
Harmonico cantu; vanuit illa tamen:
Attica sed Muti tua dat facundia, semper
Quòd Farnesio honos restet in orbe decens.

TV quoque Farnesi diuum genus occidis, atque
De te nil præter nomen inane manet,
Qui fueras quondam summo à pastore secundus,
Qui fueras rubei gloria prima Chori;
Romani tutela soli, lux inclyta pulchræ
Ausoniæ, & secli maxima cura tui.
Nil miserande tibi pietas, nil profuit alma
Relligio, Incanas dilacerata comas,
Nec sacrum roseo caput exornasse galero,
Nec dimissa graues instita ad vsque pedes.
Immensum cuius virtutes æthera, & imos
Pulsabant Manes, Vrnula parua tegit.
Omnia prætereunt, ceu fumus, & vmbra; nihilq;
Humani, præter nomen inane, manet.

SIc morimur cuncti; sed non sic viuimus omnes,
Mortem vt gloria dia sequatur.
Sternit idem cunctos (neque enim exorabile Lethum
Plerunq; æquãs nomẽ, & annos.)
Sunt quibus occiduum putret, sine laude, cadauer
Vilius ipso, vbi conditur, antro.
Sunt quibus è tumulo succrescit fama superstes,
Ceu apte fosso gramen in agro:

Hos merito illustres vitam vixisse fatemur,
Mortemq; immeritam occubuisse.
Cuncti parens Natura dedit mortalibus æuum,
Labentis vitæ, ocius vnda.
His vti est nostrum. Sapiens, morum integer, æqui
Plusquam auri incorruptus amator;
Quis ALEXANDER, decus vrbis, clara Quiritum
Progenies, FARNESIA proles,
Qui, quæ optandorum arbitrantur summa Bonorum
Mortales, habuit minima inter
Munera, diuitias, proauos, sanctumq; Senatum;
Vtitur hic vita, atque decenter.
Quid miremur opes? an non celebrabimus ipsum
Munificum potius? Quid honores?
An mage dignatum rutilo quo dignus honore?
Officia? an potius officiosum?
Purpureas chlamydes? animum an virtute coruscum?
Aut genus? aut hominem generosum?
Scilicet ista viris Natura parauit in vsum.
Qui sapit, his cumulatur honeste,
Tractat honorate, sinit, & melioribus emptis.
Sydereos mercatur amictus,
Aethereas Animæ sedes, regnumq; perenne;
Deteriore encomia parte.
Tunc sequitur fumus, concinna laude decorum,


Vis dignas tanto, inferias, nunc Principe soluat?
Talia queis celebret funera funeribus?
Virtus alma faces ducas: natura perennem,
Des luctum: nomen inuida fama canas.



Ors tua, Alexander, fulgentia lilia vidit
Cœlo purpureas inseruisse comas:
Arsit. & an cuiquam cæli fas tangere sedes
E terris, terris dum quoque viuit; ait.
Pallida tum nitidum succidit dextera florem,
Quem melior cœli vita per arua serit.
Atrata ingemuit tellus: fleuere sub antris
Flumina, delitias interijsse suas,
Quod si has nostris lachrymis hic illa renasci,
Iam tota in lachrymas vita soluta foret.


Eros sublatus liquidum super æthera sedes
Incolit inuidia maior olympiacas;
Longius in terris constans quem Parca morari
Haud sinit, & vita viuidiore beat:

Vnde is Hyperboreos campos, ſyrceſq; vadoſas,
Letheamq; ſtygem, cimmerioſq; lacus
Deſpiciens, luctus abſint a funere turpes
Noſtro ait ah, triſti nænia digna rogo.
Mitte ſuperuacuas dilecta Bononia pompas,
Quin adhibe æterno vota, preceſq; patri.
Hæc vbi dicta: volat grata inter lilia lætus
Aligerum cætu, ſydereiſq; choris.



NCLYTA FARNESIO paruis congeſta lapillis,
Piramis Heroi ſi ſtatuenda foret
Afferat, atq; vnum quiſquis donatus ab illo,
Lucida conſpicuus ſydera tanget apex.




VOS ANCHARANVS iuuenes collegeret, illos
Extinctus magna iuuit, & auxit ope.
Vtilis hos laude accumulat Farneſius, auget
Re laudem, auſpicijs nomina digna ſuis.

Vnde is Hyperboreos campos, Lycæumq; [illegible],
Lechæumq; [illegible] la [illegible]
Despicians, [illegible] facit [illegible]
Nostra [illegible] regna.
Nunc [illegible] Bononia pompas,
Quam adhibe [illegible] vota, precesq; patri.
Hæc vbi dicta: volat grata inter [illegible] latus
Aligerum cœtu, & sereno choris.



NOCVYTA FARNESIO paruis congesta lapillis,
[illegible] Heroi sit ueneranda fores
[illegible] quisquis donetur [illegible],
[illegible]





VOS ANCHARANVS iuuenes collegeret, illos
Extinctos magna uult, & auxit ope.
[illegible] laude accumulat Farnesius, auget
Re laudem, [illegible] nomina digna suis.
[illegible] numen adorans,
[illegible] maneat [illegible], qui fuit ante, tenor.

FINIS.